

Augustine of Hippo, *Confessions*, book 9, 33-37 (427 words)

12. 33. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam conversationemque eius piam in te et sancte in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum, et libuit flere *in conspectu tuo* de illa et pro illa, de me et pro me. Et dimisi lacrimas, quas continebam, ut effluerent quantum vellent, substernens eas cordi meo; et requievit in eis, quoniam ibi erant aures tuae, non cuiusquam hominis superbe interpretantis ploratum meum. Et nunc, Domine, confiteor tibi in litteris. Legat qui volet et interpretetur, ut volet, et si peccatum invenerit, flevisse me matrem exigua parte horae, matrem oculis meis interim mortuam, quae me multos annos fleverat, ut oculis tuis viverem, non irrideat, sed potius, si est grandi caritate, pro peccatis meis flet ipse ad te, patrem omnium fratrum Christi tui.

13. 34. Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi, Deus noster, pro illa famula tua longe aliud lacrimarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animae, quae in Adam moritur. Quamquam illa in Christo vivificata etiam nondum a carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra praeceptum tuum. Et dictum est a Veritate, Filio tuo: *Si quis dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis*, et vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam! Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se homines homines et *qui gloriatur, in domino gloriatur!*

13. 35. Ego itaque, *laus mea* et *vita mea*, *Deus cordis mei*, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus *tibi* gaudens *gratias ago*, nunc pro peccatis matris meae deprecor te; *exaudi me* per medicinam vulnere nostrorum, quae pependit in ligno, et sedens *ad dexteram* tuam te *interpellat pro nobis*. Scio misericorditer operatam et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi et tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, *dimitte, obsecro, ne intres cum ea in iudiciu*. Superexsultet *miseriordia iudicio*, quoniam eloquia tua vera sunt et promisisti misericordiam misericordibus. Quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis, cui misertus eris, et misericordiam praestabis, cui misericors fueris.